
EPISTOLA
PASTORALIS
AD CLERUM, ET POPULUM
RUBORUM ET BITUNTI.



SALERNI

Typis Provinciæ Præfecti

MDCCCXXXVIII.



NICOLAUS MARONE

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS RUBORUM, ET BITUNTI

DILECTIS IN CHRISTO FRATRIBUS, ET FILIIS CAPITULIS, CLERIS, ET POPULIS UTRIUSQUE CIVITATIS, AC DIOECESIS

Salutem in Domino sempiternam

Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse humilitatem, vel potius indignitatem nostram ad istas præclarissimas Ruborum, ac Bitunti Cathedras evexit, quæ et vetustate, et nobilitate, sanctorumque, et sapientissimorum Antistitum fama inter ceteras Episcopales Regni Sedes caput extollunt. Hoc est, quod vobis, hoc ipso Consecrationis Nostræ die, annuntiamus, Fratres, ac Filii in Domino dilectissimi. Insolubili iam vinculo Gregi vincti, pro Christo inter vos jam legatione fungimur: ac, omni abjecta cunctatione, ad vos properamus, testemque Nostræ erga vos voluntatis Epistolam damus.

A quo die, præter opinionem nostram, Regium designationis Nostræ nuntium accepimus, in acerrima illa co-

gitatione, perpetuaque cura versati, nimio plus oneris, quam quantum ferre possimus, esse nobis impositum; tristitiæ, et lacrymis nos plane tradidissemus, nisi senserimus, omnia consilia nostra, omnesque vitæ nostræ rationes, Divinæ voluntati esse posthabenda. Et nunc jam sacro chrismate delibuti, et Evangelii pondere gravati, putamus, ut Pauli verbis utamur, quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos: sentimus quidem quale susceperimus ministerium, nosque in quæ immanissima conjecerimus discrimina. Sed nihil horum veremur, et ad vos veniemus in abundantia benedictionis Evangelii Christi. Atque illa consolatio nos una sustentat, Fratres dilectissimi, quod vos Deus ipse a reliqua Fidelium multitudine ad regendarum curam animarum adsciverit, sociosque nobis, et adjutores dederit, ac suo ipsius spiritu, cum Sacerdotalibus Mysteriis initiati estis, abunde repleverit: ut nos jam Dei ope primum, virtuteque confisi, singulari deinde quo flagratis vestri muneris obeundi studio, vestraque freti sapientia, plurimum de nostra tristitia, et sollicitudine ademptum esse arbitremur.

Vos igitur primum appellamus, Dignitates, Canonici utriusque Capituli, omnesque de Clero tam Sæculari, quam Regulari utriusque Civitatis, ac Diœcesis, qui coadjutores nostri estis, et cooperatores Corporis et Sanguinis Domini, vocati in ministerium tabernaculi testimonii: prædicate verbum, nobis enim datum est annunciare populo consilium

Dei. Collaborate in vinea Domini, ut quibus mediis plantata, excultaque est, iisdem perpetuo crescat, atque altis defixa radicibus hæreat. Instate in admonitione, in exhortatione, requirentes quod periit, quod confractum est alligantes, quod infirmum roborantes, quod sanum ac forte custodientes. Quod sane haud arduo molimine, Deo auctore, præstabimus, si vitæ sanctitate, nostroque exemplo ita plebi Christianæ facem præferamus, ut in auctoritate modesti, in zelo mansueti, in disciplina constantes, in primis vero ab omni cupiditate, ac ab omni immunditiæ suspicione alieni videamur, sicut decet Ministros Dei, et dispensatores mysteriorum Christi: unoque verbo, si in reparanda, tuendaque morum disciplina, a nostra reformatione exordiamur, ut quo prorsus modo est ab initio constituta, diuque servata, eodem restituatur, et custodiatur. Quod si, qui plebem Christianam a somno excitare debent, ipsi sopore torpescunt; si, per quos eadem est ad virtutem, et pietatem inflammanda, ipsi frigescunt; si denique, a quibus est vitiorum fœditas arcenda, ipsi in fœdo vitiorum cæno volutantur, quid spei reliquum erit nobis? Itaque obsecramus vos, Fratres, per viscera Domini, ut infirmitatem nostram, multiplicatis omnium vestrum auxiliis, sustineatis. Quos enim in tam gravi negotio consciscamus, nisi vos, brachia nostra, comministros, et commilitones nostros? Quos, nisi vos in periculosissimo hoc stadio urgeamus, ut conjunctis viribus, veluti acie facta contra tela nequissimi

ignea, concertemus in propulsandis animarum periculis, in disjiciendis morum tenebris, in convellendis, eradicandisque vitiorum zizaniis, quæ subdolns ille operarius Satanas in Dominico agro consevit? Satagite igitur, et alacri animo estote: atque has litteras ad vos scribimus, ut vestram excitemus in commonitione sinceram mentem; adque rem bene gerendam vos adhortamur, quos adversus teterrimum humani generis hostem ardentes novimus, et erectos, ut alacriores erectioresque ascendatis ex adverso, stantesque in prælio pro domo Israel dimicetis.

Quo quidem in bello tam multiplici, tamque periculoso spes victoriæ eo melior erit, et exploratior, quo arctiore vinculo pacis unitatem servabimus. Ipse enim Dominus Jesus, paulo antequam passioni se daret: *Pacem relinquo vobis*, ait Apostolis, *pacem meam do vobis.* Nec Apostolis tantum, sed et nobis reliquit pacis hereditatem: *Non pro eis*, inquit, *tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt in me, ut omnes unum sint, sicut Pater in me, et ego in te: ut et ipsi in nobis unum sint.* Hanc tantam hereditatem, tamque præclaram a Christo Domino nobis traditam videte ut perpetuo retineamus. Turbæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones consilescant; ut qui eodem Christi Sacerdotio participes facti sunt, omnes in eodem sensu, in eadem sententia perfecti sint, idem unanimes dicant, idem sapiant. Insignis vero nota, certissimumque unitatis vestræ indicium erit, præcipua quadam lætitia

perfundi, seu potius gaudio efferri, cum quis in Ecclesia Dei pietatis, doctrinæque floreat laude, et salutis animarum vehementer cupidus, Sacerdotalis officii munus industria, labore, diligentia graviter exequatur. Vestrum insuper est id sedulo præstare, ut omnes inquirant pacem, omnes sectentur quæ pacis sunt.

Cumque medii quodammodo simus Deum inter et homines: quemadmodum ad Deum vota hominum, ita Dei voluntatem ad populum perferamus. Hæc est autem voluntas Dei, sanctificatio nostra. Itaque nostrum est, Fratres (vos præsertim, qui curam geritis Animarum, adloquimur), aperire ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, ut manifestemus illud ita ut oportet nos loqui. Illud potissimum docendi sunt populi, Christum carnem suam, nostræ, excepto peccato, similem, illam quidem non modo sanctam, sed etiam sanctificantem; passibilem tamen, et morti obnoxiam; eam omnibus objecisse cruciatibus, quibus digna erant nostra crimina: damnatam fuisse mortis doloribus: maledictum adversus peccatores in lege pronunciatum subiisse: inter acerbissimos dolores mortuam: legi satisfactum: peccatum per Jesu Christi mortem et sepulturam abolitum: e sepulcro Dominum Jesum, cum eadem quidem carne, sed mortalitatis exuviis exuta, et immortalitatis honoribus exornata, revixisse. Idcirco peccatoribus, quo justificentur, opus esse mori cum Christo, qui pro illis mortuus est: cum Christo sepulcrum ingredi, ut ibi culpa temeratam carnem relin-

quant: veterem hominem iræ Dei, et mortis maledictioni tradendum, relinquendumque, ut per Baptismum novus in bonis homo, nova factus creatura, novumque figmentum, possit cum Christo ad immortalitatem, æternamque gloriam reviviscere. Propterea Christianis omnibus de illa perpetua, non de hac exigua vita cogitandum: tum abjiciendas voluptates, et divitiarum, quæ voluptatum sunt instrumenta, cupiditatem ex animo avellendam: tum etiam maxime, qua noxiæ omnes cupiditates continentur, exuendam esse superbiam: mundum transire, ejusque concupiscentiam; qui autem facit voluntatem Dei, manere in æternum.

At tanta est temporum acerbitas, in qua versamur, ut vere dixerimus cum Propheta Isaia: *Luxit, et defluxit terra.... infecta ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum!* Alacris exultat improbitas, scientia impudens, dissoluta licentia. Despicitur sanctitas sacrorum, divini cultus majestas improbatur, polluitur, habetur ludibrio. Sana pervertitur doctrina, omnis generis errores disseminantur audacter. Non leges sacrorum, non jura, non instituta, non sanctiores quælibet disciplinæ tutæ sunt ab audacia loquentium iniqua. Vexatur acerrime Religio, ac per summam injuriam odio populorum subjicitur: divina Ecclesiæ auctoritas oppugnatur: debita Episcopis, aliisque Presbyteris obedientia infringitur, eorumque jura conculcantur. Personant horrendum in modum Academiæ ac Gymnasia novis

opinionum monstris, quibus non occulte amplius et cuniculis petitur Catholica Fides, sed horrificum ac nefarium ei bellum aperte jam et propalam infertur. Hinc ingens Religionis clades, morumque perversitas teterrima percrebuit: hinc porro freno Religionis sanctissimæ projecto, per quam unam Regna consistunt, dominatusque vis ac robur firmatur, conspicimus, et lacrymis ingemiscimus ordinis publici exitium, labem principatus, omnisque legitimæ potestatis conversionem invalescere. In hoc ideo elaborandum vobis est, adsidueque vigilandum, ut fidei depositum custodiatur in tanta hominum impiorum conspiratione, quam ad illud diripiendum perdendumque factam lamentamur. Ad opem fidei vestræ confugimus, Fratres, vestramque pro nostri Gregis salute sollicitudinem advocamus. Nostrarum est partium, vocem tollere, omniaque conari, ne aper de silva demoliatur vineam, neve lupi mactent gregem: Nostrum est, oves in ea dumtaxat pabula compellere, quæ salutaria iisdem sint, nec vel tenui suspicione periculosa. Absit ut, quando tanta premant mala, tanta impendeant discrimina, suo desint muneri pastores, et metu perculsi dimittant oves, vel, abjecta cura gregis, otio torpeant ac desidia. Agamus igitur in unitate spiritus nostram, seu verius Dei causam, et contra communes hostes pro totius populi salute una sit omnium vigilantia, una contentio. Si quid vitiosum, si quid pravum, si quid improbum consuetudine mala inhæserit moribus, caute, et prudenter avellite: proximum quemque

salutaribus monitis, consiliisque juvate: animæ fideli denique pennas date, quibus se homo ad rerum divinarum contemplationem tollat; eam mundo ereptam Deo tradite, divinamque in illa imaginem in pristinum revocate. Ministerium vestrum implete, et honorificate.

Id porro apprime præstabitis, si, quod vestri muneris ratio postulat, attendatis vobis, et doctrinæ. Ad puros sanctosque mores accedat oportet digna Ecclesiastico homine doctrina. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore ejus* (Malach.). Sacrum igitur utriusque Fœderis codicem diurna, et nocturna versate manu: *Omnis enim Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* (II. ad Timoth.). Ecclesiæ Traditiones, Sanctorumque Patrum scripta omnes adeant, unde pura, et incorrupta fidei, morumque doctrina profunditur. Romanum vero Catechismum, Catholicæ Doctrinæ Summam, assidue singuli lectitent, unde sacras conciones ad populum habendas depromant.

Et de Ecclesiasticorum hominum doctrina agentes, ad vos sermonem nostrum convertimus, Venerabilis Seminarii Alumni, gaudium nostrum, spes Ecclesiæ nostræ. Ea est ætatis vestræ lubrica conditio, ut, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, et nisi teneris ab annis ad pietatem, et religionem informetur, antequam vi-

tiorum habitus totum hominem possideat, numquam perfecte in bono perseveret. Ecquem enim forte præterit, abs depravata adolescentium institutione, veluti ex malorum omnium sentina, et morum corruptelas fœdissimas, et pestiferas animorum contaminationes undequaque circumfusas, et funestas turbulentarum opinionum faces, quæ magna bellorum excitarunt incendia, ingentes effecerunt motus, acerrimas pugnas, horribilesque strages ediderunt; tot damna, detrimentaque non in familias tantum, atque in Societatem, verum et in Rem Christianam malo pessimo importata? Quis sine lacrymis tantam hanc malorum colluviem recogitare animo tantisper poterit? Vos igitur, Filioli carissimi, et desideratissimi: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa* (Ps. 2.). Omnem sollicitudinem in voluntate Dei suscitantes, curvate ab ipso primordio cervices vestras sub disciplina, et correptione. Attendite orationi, sedulam sapientiæ date operam: sed quod est initium sapientiæ, nisi timor Domini? Quapropter, Filioli, timete Dominum. *Timor Domini expellit peccatum..... Timor Domini scientiæ religiositas..... Timor Domini gloria, et gloriatio, et lætitia, et corona exultationis..... Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam, et gaudium, et longitudinem dierum.... Timenti Dominum bene erit.... Dilectio Dei honorabilis sapientia.* Hæc nunc per epistolam declaramus, quo possimus in adventu nostro abundantius consolari, ut sicut estis in sor-

tem Domini vocati, ita quasi novellæ olivarum sitis in circuitu mensæ ejus: cetera, quæ ad felicem istius Seminarii profectum necessaria, et opportuna videbuntur, quum venerimus, disponamus.

Vos etiam contestamur, Regulares omnes, tam viri, quam mulieres, vocationis cœlestis participes. Ad Regulæ, quam professi estis, præscriptum vitam instituite, et componite: atque in primis quæ ad vestræ professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus Regulæ, et Ordinis peculiaria vota, et præcepta, ad eorum respective essentiam, necnon ad communem vitam, victum, et vestitum pertinentia, fideliter observate. *Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum..... Nolite amittere confidentiam vestram* (ad Heb.). Abrenunciantes mundo, satanæ, et carni, elegistis Jesum Christum; sequimini eum: sancti estote, quoniam ipse sanctus est; estote perfecti, sicut ipse perfectus est. *Videte, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo..... Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem* (Ibid.).

Sed est, cūr pauca ad universum Populum utriusque Civitatis, ac Diœcesis etiam scribamus, ut qui sensus nostri, quæ et charitas sit erga ipsum, facile teneat. Primum autem vos admonemus, Filii in Domino desideratissimi,

ut fide firma, virtute robusta, charitate perfecta, ad omnem voluntatem Dei conformemini, in timore custodientes Dominica mandata, in simplicitate innocentiam, in charitate concordiam. Non sint inter vos schismata, dissentiones, dissidia. An ignoratis, quod Christi membra estis, eumdem spiritum fidei habentes? Nolite igitur abduci a veritate, scientes quod, qui certamina, et discordias, et contentiones serunt in vobis, hi ex patre diabolo sunt, qui homicida fuit ab initio: vos autem eumdem Patrem adpellatis Deum, qui non dissentionis Deus est, sed pacis. Quapropter, Filii, diligite alterutrum, habentes mentem unam, ac unum spiritum, quos una fides constringit. Quod si quis in aliquo vos offendit, dimittite illi, quoniam Pater vester, qui in cœlis est, dimittet vobis. Quod si fraudem cui quis inferat, sustinete; melius est enim fraudem pati, quam invicem consummari. Nolite contemnere Sacerdotes Dei, aut eos contristari, si quando vel moneant, vel corripiant vos, ne forte in judicium Dei incidatis, et in vindictam Domini. Pavete ad Sanctuarium Domini, et nolite efficere domum Dei altissimi speluncam latronum, sed cum tremore magno locum orationis et salutis veneramini, ut sit vobis portus, ad quem, ingruentibus tempestatibus, jacere anchoram tuto possitis. Ibi namque gratiæ suæ dona misericors Deus mortalibus largitur, ibi populorum excipit vota, et desiderata confirmat, et postulata concedit. In omnibus certate, ne quid ad exemplum bonorum operum desit in vobis. Vide-

te, ne umquam contemnatis vel minimum ex mandatis Dei: si enim in Dei timore mandata ejus custodieritis, pax Dei quiescet super vos, et comedetis panem in saturitate, ac omnia vobis prospera erunt, sive domi, sive foris; si autem ex adverso connitamini, scitote quod in virga furoris sui arguet vos Dominus, visitans vos in tribulatione. Perseverate igitur omnes in bono, sive divites, sive pauperes, vel domini, vel servi, nullam habentes fiduciam in malitia.

Nobiles, et Divites veram gloriam, veras divitias amate. Nolite sublime sapere, neque sperare in incertò divitiarum, sed in Deo vivo: thesaurizate vobis fundamentum bonum in futurum, ut æternam vitam apprehendatis. Commendamus charitati vestræ vehementer qui egeni sunt ac pauperes, ut amplectamini eos in dilectione, ac visceribus Christi, in liberalitate multa, ut et vos misericordiam consequamini in die retributionis.

Singulos denique exhortamur in Domino, verbis Pauli Apostoli (ad Ephes.) *Filii obedite parentibus vestris in Domino..... Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros: sed educate illos in disciplina, et correptione Domini. Servi obedite dominis carnalibus cum timore, et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate..... Et vos, domini, eadem facite illis, remittentes minas, scientes, quia et illorum,*

et vester Dominus est in cœlis: et personarum acceptio non est apud eum ..... Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino .... Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam .... Nolite locum dare diabolo .... Fornicatio, et omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis .... Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi.

Solliciti ad vos venire, cum primum poterimus, hæc nunc absentes scribimus; sed exhortationis plura, opportunius quidem, ubi Gregis nostri faciem noverimus, plenius edisseramus. Rogamus autem vos, Fratres, ac Filii in Domino carissimi, ut in multa oratione persistatis, quo Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum cum fiducia verbum suum, ut discatis omni tempore, quemadmodum oportet, in veritate ambulare. Obsecramus insuper fieri orationes, et postulationes pro SS.mo Domino Nostro Papa Gregorio XVI, et Religiosissimo Rege Nostro Ferdinando II, ut eos Deus Ecclesiæ, et Regni bono diutissime conservet, vivificet, et sospitet. Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras, in Christo Jesu: cujus nomine Pastoralem Benedictionem, primum benevolentiæ nostræ pignus, vobis amantissime impertimur.

Datum Salerni V. Kalendas Martias Anno Domini MDCCCXXXVIII.



